



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

34 Honorius Imperator Arcadium fratrem acriter de malè gestis contra Io.  
Chrysostomum reprehendit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

illi: si vult in palagus mittere, Ionæ recordabor; si vult in caminum iniicere, idem passi sunt tres illi pueri; si me feris vult obijcere, obijciat, Danielis in lacum leonib. obijcti recordabor, si me lapidare vult, lapider, Stephanum habebō primum martyrem socium; & si caput tollere vult, tollat, habeo socium Joan. Baptistam, & si substantiam auferre, auferat, nudus exiui de utero matris meæ, & nudus revertar illuc, Chryf. *Epist. 3. ad Ciriacum relatus à Baron in lib. Ann. to 5. ann. 444. pag. 197. in fine*, & cum in exilium à militib. deportaretur, ægra valetudine toto itinere laboravit, continuis febribus, & stomachi solutione, alijsque gravissimis morbis obsessus, ut in *eo ann. 444. tom. 5. pag. 252. & seq.* & post prædicta aliaque plura, & majora passa 33 Comanæ exul requievit in Domino, ut per eundem Baron, *eod. tomo. 5. anno. 407. pag. 254.*

32 Honorius quidem † Imperator, ægre præmissa ferens, *epistola sua ad Arcadium fratrem Augustum*, qui Eudoxiæ reginæ conjugii obtemperando, cum Joanne Chrysofomo tam male se gesserat, sic est affatus. Nescio, qualis tam potens, & à dæmone immissa impulsio persuasit tibi, o frater, femine committere te ipsum, & patrare talia, qualia nemo alius pius Christianorum regum patravit: Etenim, qui isthinc sunt sanctissimi Episcopi clamant adversus Imperiam nostram, quod magnum Dei Antistitem Joannem, neque legitime, neque ex præscripto canonum, & ab Episcopali sede depulstis, & acerbissimis exilijs, & intolerandis injurijs iniicientes per vim, vita spoliastis, locum tenentes autem Romanæ Ecclesiæ ob vestrum honorem, & legitimi iudicij stabilimentum

missos, qui afferebant hinc litteras, ut omnia integre definirentur, tenuistis; quibus cum nihil humani egistis, amplius, & custodijs diversis conclusistis, ac fame prope necastis, simulque, quas secum ferebant pecunias ad viatici necessitates corporeas, auferri ab ipsis mandastis, & clamantes contra vos ad Deum, atque ingemilcentes nullo sunt habiti loco: adhæc Apostolica mandata nihili facta à vobis sunt, Episcopos sanctos injuste privastis, ac sexcentis injurijs, & exilijs maxime longinquis injuste adjudicastis, aliosque pro his indignos indigne intrulistis. Contende igitur frater, non verbo, sed te, & Deum, & homines, de correctione eorum, quæ non sunt recte acta certiores facere: certus, & ipsum Imperium nostrum, & ruere, & stare præcibus sacerdotum. Baron. *Anna. 407. tomo 5. pag. 260. in princ.*

34 Innocentius enim † Papa I. ob ipsius S. Jo. Chryf. mortem eidem Imperatori Arcadio ita scripsit; Vox sanguinis fratris mei Joannis clamat ad Deum contra te, o Imperator, sicuti quondam Abel iusti contra fratricidam Caim, & is modis omnibus vindicabitur. Et si beatus Joannes vitam reliquit, fide servata, & fluctuantibus confirmatis, in æterna tamen secula sempiternam deliciarum, & immortalis vitæ hereditatem est consecutus; Nova autem Dalida Eudoxia, quæ paulatim te erroris, seu seductionis novacula totondit, execrationem ex multorum ore sibi ipsi introduxit, grave, & quod gestari nequeat, peccatorum pondus colligans, atque id prioribus peccatis suis superaddens Itaque egominimus, & peccator, cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, † legrego, & reijcio te, & illam à perceptione immaeulato-

rum